

CAPUT VIII.

De Contractu census.

83. *Quest. 1.* Quid, & quotuplex est census. R. Census hic sumitur pro contractu, quo quis emit certa pecuniæ summa jus percipiendi quotannis certam aliquam pensionem, aut censum, prout consuetudine, aut lege sit præscriptum. Quod si census constituatur super aliquo prædio, domo, aut alia re utili, stabili, & fructifera dicitur census *realis*: si vero nulla res stabilis obligetur, sed persona ipsa, vel ejus opera, & industria, dicitur *personalis*. Rursus hic census potest esse *redimibilis*, cum ita convenit, ut vel uterque, vel alteruter possit ipsum redimere; *irredimibilis* vero, cum neuter redimere illum possit pro suo arbitrio.

84. *Quest. 2.* Quando erit justus, vel injustus contractus census *realis*? R. illum ex se, & natura sua esse licitum; est enim virtualis emptio, & venditio, vi cujus emitur non quidem ipsa pensio, sed jus ad illam, vel potius pars ususfructus prædii, v. g. super quo constituitur; ita ut dominium prædii directum maneat apud venditorem, dominium vero utile, seu jus ususfructus ex parte vendatur. Quod quidem jus cum minoris valeat, potest minoris emi, licet post multos annos pretium longe superet. Erit autem contractus hic injustus, si pensio, quæ assignatur, excedat pretium, lege vel consuetudine receptum.

85. *Quest. 3.* An sit justus census *personalis*? R. affirm. cum Soto, Covarruvias, Lessio, aliisque primæ notæ DD. contra nonnullos alios, modo pretium sit justum, & venditor census possit opera sua, vel industria lucrari. Constat ex praxi, & consuetudine piorum hominum tum in Gallia, tum in Hispania, Belgio, cet. 2. quia pretio æstimabile est jus ad pensionem non solum ex se fructifera, sed etiam ex labore, & industria hominis, adeoque potest illud locari, & vendi. Et licet Pius V. in Bulla *cum onus* prohibeat censum constitui, nisi in re, quæ natura sua sit fructifera; ea tamen Bulla non viget ubique, ut de Germania testatur Lessius, Pirring, & alii, de Hispania Salmant. de Gallia, & Belgio Tournely, & Antoine. Consule Bened. XIV. Synod. Dioc. lib. VII. c. 48. ubi censum mere personalem usuræ periculo non vacare, docet.

86. *Quest. 4.* An liceat census, ex utraque parte redimibilis? R. duplex est sententia probabilis. 1. negat: quia ubi traditur pecunia cum pacto eam rursus recipiendi, est mutuum virtuale, adeoque usura est quicquid ultra sortem recipitur. Ita Sotus, Covarruv. Salmant. alii. 2. vero affirmat cum Lessio, Sporer, Layman, aliisque; quia si licet venditio prædiorum cum pacto reemptionis, nulla est ratio, cur idem non liceat in venditione censuum sine usura, nec mutuo virtuali, præsertim cum in omni mutuo res pereat mutuario; in censu autem si res pereat, cui census est adnexus, perit emptori, modo venditor in culpa non sit. Hæc om-

nia locum habere dicunt in censu etiam personali, modo serventur debite conditiones, ut de emptione, & venditione diximus Cap. 6. n. 72. Notant AA. contractum census, redimibilis ex parte emptoris, plenum esse periculi, & usuris obnoxium, ut non facile suaderi possit.

87. *Quaest. 5.* An liceat contractui census adungere contractum, quem vocant, assicurationis, ita ut si fundus pereat, super quem census est constitutus, nihilominus obligatus sit venditor ex aliis bonis pensionis solvere, vel restituta sorte, eodem pretio redimere? Affirmat opinio communis, dummodo hoc pacto inito, quod venditori est valde onerosum, augetur pretium census, vel quod eodem recidit, minor pensio assignetur. Atque ita fit, ut licet ex vi contractus census, re hypothecata pereunte, pereat census, atque adeo omnis ejus obligatio; ista tamen manebit ex vi adjuncti contractus, quo pro ea hypothesi pensio secunda manet, & indemnitas.

Nota, licitum esse censum vitalitium, quia est virtualis sponsio, & nititur eventu fortuito. Pretium hujus ut sit justum, aestimari debet juxta rationem ætatis, & valetudinis, & juxta priorum consuetudinem.

CAPUT XI.

De Cambio.

88. *Quaest. 1.* Quid sit cambium, & quod duplex? R. hic sumitur pro contractu, quo quis alteri volenti cambit pecunias cum lucro aliquo supra sortem. Quatuor autem sunt ejus genera. 1. cambium *minutum*, in quo dantur pecuniae minores pro majoribus, vel e contrario. Erit autem justum, modo absit mens usuraria, & sint tituli justii lucrandi, nimirum labor camporis in numeranda pecunia, diligentia in moneta omnis generis acquirenda, ut compariis quibusvis sit paratus numerare; item puritas materiae, & commoditas, ut cum aurum, vel argentum redditur pro moneta minuta, & incomoda. Idque licet etiam eis, qui officium camporis non exercent, ut Navarra, Salmant., alique docent. 2. cambium est per *litteras*, cum scilicet campor in hoc loco pecunias accipit, quas postea litteris datis tradit alibi. Atque id etiam ex se licitum est, cum sint justii tituli alicujus lucrari, nimirum virtualis trajectio pecuniae, & ejus assicuratio; minus tamen exigere debet campor, quam si re ipsa alio transtulisset. S. Pius V. in Bulla *de cambiis* ad usuras amovendas statuit, non protrahendum tempus solutionis cambii, nisi ad primas nundinas; & solutiones esse faciendas, ubi determinatae sunt, ac justa tempus communiter taxatum, de uno in alium locum.

89. Tertium est cambium *reale*, cum campsor in hoc loco prior dat pecunias, ut per suos alibi eas recipiat a camporario, qui alibi pecunias habet, sed eget eis hic. Justus est titulus hujus cambii, scilicet translationis, & assurancementis, cui faciendæ campsor operam suam locat, suscepto in se periculo, & incommodo. Et licet translatio pecuniæ fiat sæpe sine campsoris damno, imo cum ejus utilitate; hoc tamen non tollit, quominus justa sit ratio lucri moderati, quia in communi æstimatione hæc translatio pretio æstimatur; commodum autem campsoris accidentarium est.

90. Quartum est cambium *factum*, seu *siccum*, quod re vera est mutuum sub specioso titulo cambii, ut si v. g. Titius indigens pecuniis in hoc loco petat a Camporario; hic autem nolit dare, nisi in loco distante solvendas, ut petat ab eo pretium, quod solet dari pro locis, similibus; Titius vero accipit, & tamen revera non cogitat reddere in eo loco, nec ibi forsitan habet amicos, qui reddant, idque constat camporario. Hoc, vel simile est cambium factum, & re vera usura palliata; nisi campsor excusetur titulo lucri cessantis.

91. *Quæst. 2.* An sit licitum cambium cum *recambio*? Rem explico exemplo; tu accipis Neapoli centum aureos a camporario, solvandos in Sicilia; sed quia non abes ibi nec procuratorem, nec pecuniam, rogas campororem, ut concedat tibi procuratorem suum in Sicilia, qui nomine tuo solvat debitum ipsi camporario, & simul nomine campororis solutum recipiat cum lu-

cro. At quia tu non habes in Sicilia pecuniam, procurator ille rescribit camporario, ut Neapoli debitum tuum exigat cum alio lucro recambii. R. cambium hujusmodi nullo modo posse ab usu-
ræ labe vindicari, cum re vera sit cambium *siccum*, idque duplicatum. Etenim neque tu intendis pecuniam acceptam restituere, nisi Neapoli, ubi accepisti; neque contra campsor intendit exigere pecuniam creditam, nisi Neapoli, ubi traditur, ut ita ex sua pecunia lucrum recipiat.

92. *Quæst. 3.* An sit licitum cambium *ad nundinas*, cum v. g. Mercatores dant hic pecuniam ea lege; ut eam cum lucro recipiant alibi ad proximas nundinas, plus, minusve exigendo pro cambio, quo magis, vel minus remotæ sunt nundinæ? R. hunc contractum esse omnino usurarium, si sola dilatio solutionis sit causa augendi pretium; erit autem justus, si adsint alii tituli, v. g. lucri cessantis, vel damni emergentis. Consule Bened. XIV. de Syn. Diœces. lib. 10. c. 5. ubi de hoc, & aliis generibus cambii erudite disserit.

C A P U T X.

De locatione, & conductione.

93. *Quæst. 1.* Quid sint locatio, & conductio? R. locatio est contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis, vel opera personæ, aut industria alteri fruenda traditur ad tempus, pretio, aut mercede constituta. Conductio est contractus, quo rei usus, vel personæ opera ad tempus accipitur pro mercede. Unde sunt unus,

idemque contractus, qui ex parte dantis locatio dicitur, & conductio ex parte recipientis. Proxima est emptioni, & venditioni, *iisdemque regulis juris consistit*, instit. lib. 3. tit. 25. Si res locata pereat ante traditionem, contractus dissolvitur, & contractus liberatur. Si post traditionem, perit locanti, qui semper est dominus; modo non pereat ex culpa conductoris, aut non sit apposta conditio, ut conductor in se periculum suspiciat. Quæ conditio si locationi adjungatur, debet minui pretium, aut pensio, ne sit inæqualitas, & iniustitia.

94. *Quest. 2.* Quænam sunt obligationes locatoris, & quænam conductoris? R. 1. Locator tenetur expensas facere rei conductæ, quæ magni momenti sunt; v. g. conservare sartam tectam domum, tributa, & onera publica præstare, & similia, nisi aliter conventum sit, aut consuetudo ferat. Tenetur pariter remittere colono de pensione ob magnam cladem, vel infortunium, aut sterilitatem; secus si damnum sit exiguum, aut fertilitate aliorum annorum satis compensetur. Non potest ante præfinitum tempus conductorem re locata privare, nisi gravibus de causis. Istæ autem erunt 1. si pensionem non solvat tempore statuto. 2. si ob fortuitum eventum necessaria domino sit ipsa domus, vel fundus. 3. si opus sit reficere domum, nec id fieri possit, aliquo inhabitante. 4. si conductor abutatur re locata, v. g. alendo meretrices, destruendo eam, vel alio modo damnum inferendo.

95. Conductor autem tenetur rem sibi locatam conservare secundum prudentum & piorum

virorum consuetudinem. Itaque si culpa ipsius res conducta pereat, aut fiat deterior, debet domino compensare. Quod si damnum eveniat ex negligentia famulorum, quam ipse cavere non potest, nec debet, absolvendus est; secus vero si ipse potuit impedire, aut idoneos servos non admisit, ut constat ex l. 11. & 25. ff. locat. Non potest rem conductam dimittere ante statutum tempus, nisi fortuita aliqua causa proveniat sine ejus culpa; alioquin tenetur integram pensionem solvere; poterit tamen rem conductam alteri locare, qui obligetur ei pensionem solvere, & ille domino. Hæres universalis non potest ante completum tempus conductorem expellere; potest autem partialis, ut emptor, legatarius, donatarius, cet. nisi aliter pactum sit; conductor autem, si ab eis expellatur, jus habet, ut sibi resarciantur sumptus impensi, vel damnum, ut constat ex l. qui fundum. Uxor autem debet stare locationi mariti sui; sicut & minor locationi curatoris, ac Beneficiarius sui decessoris.

96. *Quest. 3.* An licet pauperi elocare jus mendicandi? R. neg. cum Lugo, La-Croix, & aliis contra nonnullos alios; quia fideles, eleemosynam dantes, illam pauperi volunt erogare, non ita conductori, qui non est pauper. Nec satis est dicere, illam egeno dari, mediante conductore; nam ut recte Croix respondet, vj juris empti ad petendum conductor non petit nomine pauperis, sed suo; adeoque eleemosynam nec mediate confertur pauperi. Aliter dicendum censeo, si egenus petere per se ipsum non potest: quia licet illæ eleemosynæ ad dominium

pauperis non perveniat, prosunt tamen, ut earum subventione manuteneatur; alias vix inveniretur, qui pro paupere alendo hac, & illac circumiret.

97. *Quæst. 4.* An nuncius eodem loci profiscens juste possit accipere a duobus duplicatam mercedem? De aurigis nulla est difficultas; inquit Concina, cum ita ferat consuetudo. De nuncio vero opinatur, æquum esse, ut dimidiam tantum mercedem exigat a secundo conductore; cum opera, quam pro illo suscipit, tanti non valeat, quanti valeret, si pro eo solo iter susciperet. Hæc quidem ille probabiliter; non est tamen minus probabilis sententia communis, asserens, posse ab utroque integram mercedem exigere; quod enim utrique sit utilis ejus opera, id omnino accidentarium est, ex se autem justa merces est, quam ab unoquoque exigit, cum unicuique sese obliget ex justitia ad iter peragendum quod sinon peragat, peccat contra jus utriusque.

CAPUT XI.

De aliis contractibus.

98. *Quæst. 1.* Quid est emphyteusis? R. est contractus, quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile, vel in perpetuum, vel saltem ad decennium cum onere solvendi pensionem annuam domino directo. Differt a locatione, quia emphyteusis nequit constitui nisi in re immobili, nec minus quam ad decennium, & per eam transfertur dominium utile. Et vero emphy-

teuta ita tenetur solvere canonem, ut vocant, seu pensionem, ut si negligat per annos 26., possit expelli a domino etiam auctoritate propria; quamquam in sæculari emphyteusi requiratur spatium annorum 36., quod tamen a consuetudine loci dependet.

99. Si emphyteuta patiat gravem jacturam fructuum, tenetur tamen solvere pensionem ex lege. 1. c. de jure emphyt. quæ tamen lex inquit Lugo, locum habet, cum pensio modica est, & datur magis ad recognitionem domini, quam ad compensationem fructuum. Secus vero, si magna sit, & fere exæquet fructus ipsos, quia postulat tunc æquitatis ratio, ut pensio minuat, vel tollatur. Utrum vero emphyteuta gaudeat privilegiis, quæ dominus directus re ipsa habebat? disputant aliqui, aliis probabiliter affirmantibus, aliis non minus probabiliter negantibus.

100. *Quæst. 2.* Quid est feudum? R. est contractus, quo res immobilis alicui conceditur cum translatione domini utilis, proprietate retenta, sub onere exhibendi domino directo fidelitatem, & obsequium personale. Differt ab emphyteusi, quod in eo, si purum sit, non vero mixtum, non debetur pensio, sed solum obsequium. Quod si non præstet, amittit feudum, uti & si domino bellum gerat, cet. Alia jura circa feudum pendent a locorum consuetudine.

Quæst. 3. quid est contractus libellaticus? R. cum feudatarius, vel emphyteuta rem in feudum acceptam, vel in emphyteusim, tradit al-

teri simili contractu, & conditionibus; ita ut sit quasi subfeudum; vel subemphyteusis. Non potest fieri ad decennium, nisi domino consentiente.

101. *Quæst. 4.* Quid est sponsio, & an sit licita? R. est contractus, quo duo, vel plures de veritate, aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondet, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit. Ut sponsio licita sit, requiritur 1. ut fiat super re dubia. 2. ut sit æqualitas in re, quæ spondetur, cum æquali incertitudine, aut probabilitate. 3. ut uterque in eodem sensu accipiat id de quo certatur. Leges Civiles reprobant sponsiones, quæ fiunt circa corporis certamina causa odii, vindictæ, aut similis pravæ affectionis; aliæ vero, quæ natura sua indifferentes sunt, potius approbantur in l. *si quis ff. de verbo. oblig. & l. pater c. de inoff. test.* Sæpè tamen practice loquendo hujusmodi sponsiones excusari non possunt a peccato veniali, cum deest motivum honestum licitæ recreationis, aut quid simile; Atque ita intelligendus est S. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 23. *turpe vocans lucrum ex sponsione, utpote nulli deserviens utilitati, sed vanitati, & prodigalitati.* Per bullam autem Pii IV. prohibentur sponsiones circa electionem Pontificis, & super vitam ejus, & mortem; quam prohibitionem extendit Greg. XIV. ad electiones Cardinalium sub excommunicatione latæ sententiæ.

102. *Quæst. 5.* Quid sit ludus, & quo pacto sit licitus? R. est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur ut victori cedat, quod uter-

que deposuit. Ut ludus sit licitus, requiruntur aliquæ conditiones. 1. ut absit omnis fraus, & injuria, alioquin contractus erit nullus. 2. ut ludentes habeant dominium, aut facultatem liberam circa ea, quæ spondent. Unde tenetur quisque restituere ea, quæ lucratus est a religioso, & filio familias, qui non potest alienare. Quod intellige, nisi bona sint castrensia, aut summa sit moderata, ut præsumi possit tacita saltem venia parentum. Idem dico de uxore, & Religiosis, in quibus facultas generalis expendendi in usus honestos non est satis, ut licite possint ludere ludis immoderatis, aut prohibitis.

103. 3. *Conditio*, ut ludus sit honestus, est, ut in re, quæ utrinque spondetur, sit æqualitas, & periculum perdendi & lucrandi sit quodammodo æquale; hoc enim exigit natura contractus. Et licet aliqui velint justum esse ludum, si inæqualitas nota sit ludentibus, & ipsi consentiant; contrarium tamen probabilius existimo cum Lugo ex natura omnis contractus. 4. *conditio*, ut ludi non sint lege positiva prohibiti, ut lusus alearum, & similes, qui a fortuna magis, quam ab industria dependent. Qui Clericis sub mortali prohibentur, in brevis temporis excuset, & absit scandalum. Idem dico de Regularibus, qui solum venialiter peccabunt si ludant moderate chartis, vel aleis, imo ne venialiter quidem, ubi recepta est consuetudo. Ubi tamen regularis disciplina viget, a mortali non possunt excusari Regulares, ut docet Molina; neque excusari possunt Episcopi, si id frequenter faciant, & cum periculo scandali.

104. Si quis ludat ob lucrum principaliter, certe venialiter peccat, cum hic non sit finis honestus ludi, sed animi remissio, & levamen, ut gravioribus melius curis possit incumbere. Pariter, si summa, quæ in ludo exponitur, sit immodica, attenta qualitate personæ ludentis, ejusque facultatum. In quo ludens peccare potest graviter; si ea ludendo expendat, quæ necessaria sunt ad familiæ sustentationem, filiarum dotem, aut congruas statui suo eleemosynas erogandas. Denique peccat ludens qui causa est gravis peccati proprii, vel alieni; ut blasphemiarum, odii, cet. aut si ipse propter ludum propria officii sui munera negligat.

105. *Quæst. 6.* Quinam teneantur id restituere, quod ludendo vicerunt? R. tenentur 1. is, qui lucratur ab eo, qui non habet rerum suarum dominium, ut a filio familias, Religioso, cet. nisi quantitas sit modica, ut præsumi possit tacita permissio parentum, vel Superiorum. 2. qui vi, fraude, vel injuria cogit alium ad ludendum, vel utitur in ludo industriis, & artibus non receptis; secus vero si artes honestæ sint, & a regulis usus permissæ. 3. qui lusit, vel certavit, certo præsciens se victurum esse, cum non sit æqualitas periculi, contractui necessaria. Tolerus tamen, & alii id negant, modo non adsit dolus, cum nemo teneatur ex justitia peritiam suam alteri declarare; sed is temeritati suæ debet adscribere, quod ausus fuerit cum eo certare, cujus scientiam ignorabat. 4. qui ludens habuit animum non solvendi, non potest lucrari, atque adeo nec retinere, quod est lucratus.

106. *Quæst. 7.* An teneatur restituere, qui ludo prohibito lucratus est? Nota, ex ludis alios esse prohibitos jure naturæ alios jure Civili, alios jure Canonico. Jure Naturæ vetitus est ludus omnis, in quo non servatur æqualitas inter ludentes, aliæque conditiones ad contractum naturæ sua requisitæ. Atque in hoc ludo acquisitionem restituere debet, cum contractus sit nullus. Jure autem Civili in l. *alearum* generatim prohibetur usus alearum, & alii qui solum a fortuna dependent, præter eos, qui prohibentur jure particulari. Jure autem Canon. Clericis prohibetur ludere aleis, taxillis & chartis, & aliis hujusmodi. Quam prohibitionem innovavit Trid. Sess. 22. c. 1. His positus, R. 1. laici ludentes aleis, aut aliis ludis ex jure prohibitis non peccant graviter ex communi opinione, nec tenentur ad restitutionem ante sententiam judicis; quia jura non declarant irritum contractum, nec impediunt acquisitionem dominii, sed tantum concedunt facultatem repetendi amissum. Imo ne venialiter quidem ab eis peccari sentiunt multi, nisi finis inordinatio, aut alia circumstantia minus justa intercedat. Utrum autem is, qui in ludo vetito perdidit, teneatur solvere, an non? alii affirmant, alii negant, uterque satis probabiliter.

107. R. 2. Clerici, & Religiosi ludentes aleis, si id faciant frequenter, & magna sit summa, quæ spondetur, graviter peccant, ut dictum est n. 104. ubi & de ludis chartarum diximus. Et quamvis in c. *Clerici* eis præcipiatur, ne hujusmodi lusibus intersint, eos tamen a gravi peccato excusant DD. nisi præsentia

sua sint causa ludi, qui sit peccatum mortale, vel negligent corrigere ita ludentes. Non ita facile a gravi peccato vindicari potest Episcopus, qui his lusibus frequenter assistat, ratione scandali: qua de causa nec potest excusari, si sæpius ludat chartis, nisi id fiat cum debita moderatione, & sine periculo scandali.

108. *Quæst. 8.* Quid est assecuratio? R. est contractus, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se ad eam compensandam, si perierit. Quod si gratis fiat, est gratuita promissio; si pretio constituto, est velut emptio, qua assecurans vendit suam obligationem præstandi alteri rem suam indemnem. Ut justus sit contractus, requiritur 1. ut eventus rei sit incertus utrique; nam si assecurans sciat certo rem esse in tuto, inique pretium petit, & tenetur restituere. Pariter si cupiens rem suam reddere securam, eam sciat jam perisse non potest pacisci de ejus assecuratione; cum desit titulus contractus, nempe cavere periculum rei. 2. requiritur, ut pretium sit majus, vel minus pro majori, vel minori periculo, attenta æstimatione communi rei, quæ assecuratur.

109. *Quæst. 9.* Quid est fidejussio? R. est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non impleverit. Hinc fidejussor non obligatur plus, quam principalis, & hujus obligatio, si sit invalida, erit etiam fidejussoris. Nec potest obligari, nisi facta excussione principalis debitoris, constet, eum non esse solvendo, nisi ali-

ter sit conventum. Quod si debitor sua culpa non solvit, tenetur fidejussori, qui pro ipso solvit, non tantum ipsum debitum, sed etiam damna, & expensas omnes compensare; verum si absque ulla culpa non solvit, ad solum debitum teneri, docent communiter DD. Mulieres autem ex fidejussione, ut & Clerici non obligantur, nisi in quantum commode possint solvere; saltem si juramentum absit, & instrumentum publicum.

110. Ex fidejussione, facta a Religioso propria auctoritate, monasterium non obligatur, nisi quatenus in ejus cedat utilitatem. Pro fidejussione licet accipere pretium pro ratione quantitatis debiti, & periculi. An autem id liceat, ubi nullum timetur periculum? Negant Covarruvius, Moja, Antoine; & alii, quia deest titulus exigendi pretium: affirmant tamen alii multi, cum tale onus ex se sit pretio æstimabile. Atque id censeo omnino tenendum, modo pretium sit proportionatum communi æstimationi oneris, & molestiæ, quam secus affert.

111. *Quæst. 10.* Quid est pignus, & hypotheca? R. pignus est contractus, quo debitor rem aliquam mobilem tradit creditori, ex qua iste possit sibi solvere, si debitor non solverit. Hypotheca vero est contractus quo res aliqua immovilis traditur creditori, ex qua iste sibi possit solvere, si debitor non solvat. Hinc licet isti contractus sæpe in jure idem sonent, & sumantur etiam pro ipsa re, alteri obligata ad securitatem debiti, differunt tamen 1. quia pignus est rei mobilis, hypotheca rei im-

mobilis. 2. in pignore res traditur creditori, in hypotheca sola conventionem res obligatur.

112. Pignore non licet uti contra voluntatem domini, quia est res aliena ad securitatem tantum, & non ad usum tradita. Præsumitur autem dominus consentire, si nullum ei damnum obveniat, ut si alter utatur libro, vel similibus. Quod si invito domino quis utatur pignore, debet valorem usus, sicuti & fructus omnes, si res sit ex se fructifera, compensare, cum res quælibet domino suo fructificet. Non possunt oppignorari, quæ non possunt vendi, v. g. Ecclesiæ, nisi in gravi necessitate: pariter immobilia, & pretiosa mobilia, Divino cultui consecrata, ut calices, planetæ cet. Creditor, qui pignus ab aliquo accepit, potest illud alteri in pignus dare, sed non pro majori quantitate. Neque potest illud alteri vendere, debitori non solvente, nisi post biennium, & eo prius monito. Eandem vero rem non licet dare pluribus in pignus, vel hypothecam, nisi sufficiens sit ad solvendum omnibus, vel posteriores de priore hypotheca admoneantur.

113. Cum in contractu pignoris convenitur, ut creditor utatur pignore, ac fructus inde lucretur, donec debitum ipsi restituatur; dicitur contractus *antichræus*, qui natura sua usurarius est, cum creditor aliquid lucri percipiat ultra sortem causa solius mutui. Possunt tamen intercedere justi tituli, v. g. si fructus ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quæ jure census super eandem constituti exigi posset; aut si alioquin lucrum ces-

set, vel damnum emergat, tum debitum differtur.

CAPUT XII.

De Contractu Societatis.

114. *Quæst. 1.* Quid sit contractus societatis, & quomodo sit licitus? R. 1. is est, cum aliqui inter se conveniunt, & contributis aliquibus rebus ad lucrandum idoneis, ut pecunia, animalibus, industria, labore, cet. commune aliquod lucrum faciunt, quod uti & damnum pro ratione, & rata cujusque dividunt inter se. Quem contractum natura sua licitum esse, constat ex jure civ. ff. *de socio*, & ex jure can. e. 7. *de donat.* Ut autem licita sit societas, requiritur. 1. ut fiat ad negotiationem justam, & honestam, alioquin evadet societas iniqua. 2. ut singuli socii conferant aliquid aptum ad lucrandum, sive operam, sive industriam, sive pecuniam, quæ licet ex se sit sterilis, talis tamen non est, prout subest industriæ negotiatoris. 3. ut in lucro servetur æqualitas pro ratione eorum, quæ quisque contulit, ut habetur l. 29. ff. *pro socio*. 4. ut impensæ, ac periculum sint communia ex l. 67. ff. *pro socio*, ut qui sentit commodum, sentiat & incommodum. Denique ut ad certum tempus ineatur societas, ante quod repetere non liceat, quod in ea collatum est.

115. Hinc plus lucrari debet, is qui confert pecuniam, & operam, quam qui vel solam pecuniam vel solam operam. Quod si perit sors,